

intimata judici Ecclesiastico, & tabellioni, integraliter omnibus actis inspectis, iterum in Senatu datur novum decretum, an violentia facta fuisset, vel non, & hoc jure utimur.

- 17 Quis autem in causa appellationis sive ab interlocutoria, sive ad diffinitiva teneatur omnia acta primæ instantiæ exportare, & quorum expensis, & an dispositio Tridentini procedat in omnibus iudiciis tam delegatis, quam ordinariis ultra Episcopos, de quibus loquitur, & de pluribus aliis mirabilibus difficultatibus hujus materiæ exportationem actorum spectantibus, latissimè & copiosè videre poteris per omnes Doctores modernos in hoc §. 2. citatos, apud quos etiam plenè: an sententia lata, & processus gestus per superiorem actis non integrè exportatis teneat, vide per eos, præcipuè Scaciam, Marefcot. Gratianum, & Joan. Hieron. Campanill. & alios ab eis citatos: de quo nos infra, hac 1. p. cap. 7. Marius Giurba decis. 29. à princ.

## §. III.

Quod jus, seu stylum, an Rotæ, an tribunalis Ecclesiastici, quamve opinionem, Regius Senatus attendere debeat in articulo violentiæ, & an in dubio iudicem vim fecisse, decernat.

## SUMMARIUM.

- 1 Senatores inter cognoscendum de violentia articulo, præ oculis habere debent jus Canonicum, concilia, & decreta Ecclesiastica.
- 2 & 3. Index superior inter cognoscendum, an inferior bene, vel malè processerit, attendit statuta, & stylum tribunalis iudicis inferioris.
- 4 Causa Ecclesiastica ut usura, juramentum, &c. si tractetur coram iudice seculari, decidenda erit secundum jus canonicum, non civile.
- 5 Laicus litigans coram iudice Ecclesiastico, jure canonico, & tribunalis stylo adstringitur, & è converso.
- 6 Index Ecclesiasticus subrogatus in locum iudicis secularis eodem modo procedit, quo iudex secularis procedebat.
- 7 Appellationis delatio, seu non est de appellationibus primæ instantiæ, & ideo ejus statuta, & stylo subjacet.
- 8 Appellatio est de ordinariis iudiciis, & ideo stylus & jus illius, à quo proponitur, est attendendus.
- 9 Articulus, an appellationi sit deferendum, vel non, non respicit ordinaria iudicis.
- 10 Ordo, & stylus tribunalis, ubi proponitur appellatio, attenditur in possibilitate appellandi.
- 11 Quod multò magis procedit in appellatione ab interlocutoria ante diffinitivam.
- 12 Stylus, statuta, & constitutiones iudicis inferioris, tenentur attendere superior, inter cognoscendum, an sit deferendum appellationi.
- 13 Senatus inter cognoscendum, an sit deferendum, attendere debet jus canonicum, & constitutiones Synodales, sed & stylum illius iudicis Ecclesiastici, à quo est appellatio emissæ.
- 14 Senatus inter decernendum violentiæ articulum deficiente jure canonico, an potius attendere debeat jus civile, quam Regium.
- 15 Qui teneant affirmativè, ibidem.
- 15 Index Ecclesiasticus deficiente jure canonico potius debet attendere jus Regni, quam jus civile, & è converso.
- 16 Laicorum leges non ligant clericos.
- 17 Et quando secus ibidem.
- 17 Laicorum lex si est vel approbata per Papam, vel tacitè recepta, debet attendi in foro Ecclesiastico.

- 18 Stylus tribunalium Regalium multoties practicitur in foro Ecclesiastico, & approbatur per Rotam.
- 19 Senatus in cognitione per viam violentiæ an potius attendere debeat stylum Romanæ Curie, quam illius tribunalis de cuius violentia conqueritur.
- 20 Stylus de partibus etià contrarius stylo Rotæ in ipsa attenditur in libris, quæ transportantur ad Curiam.
- 21 Stylum iudicis à quo in ordinariis iudiciis, Rotæ, & quilibet superior tenetur observare, etiam contrarium stylo sui tribunalis.
- 22 Senatus inter decernendum articulum violentiæ quam opinionem servare debet.
- 23 Opinio communis Doctorum sive in lecturis, sive in tractatibus, vel in consiliis, sequenda est per iudicem.
- 24 Opinio quæ plurimorum autoritate comprobatur, præsumitur verior.
- 25 Nec ab ea recedendum in iudicando, & consulendo, ibi.
- 25 Senatus inter decernendum articulum violentiæ adhibere debet communi Doctorum, quam neglexit iudex Ecclesiasticus.
- 26 Opinionibus duabus contrariis aequè probabilibus, seu communibus, iudex Ecclesiasticus potest, quam maluerit eligere.
- 27 Etiam in foro conscientiæ.
- 28 Senatus præcisè tenetur inbarere ei opinioni, quam de jure potuit iudex Ecclesiasticus eligere.
- 29 Vim fecisse declarabit Senatus in dubio consistente in subtilitate juris, aut facti intricacione, &c.
- 30 Violentia sapit odium, & delictum.
- 31 Appellationi in dubio deferendum est.
- 32 Innovare non debet iudex sed supersedere in executione, ubi est dubium juris, vel facti, an appellatio teneat.
- 33 Delationi appellationis si pariat dubium, etiam ubi regulariter est prohibita, deferendum est.
- 34 Prohibitio appellationis in possessorio, &c. est limitatio regulæ, & per admissionem in ea in dubio redimus ad eandem regulam.
- 35 Causis duabus concurrentibus, alia permissiva, alia prohibitiva appellationis, hæc ut fortior attenditur, quando constat apertè de prohibitione, secus si dubiè.
- 36 Recursus ad Regem est favorabilis omnino, & omni jure permissus, sub limitibus defensionis naturalis contentus.
- 37 Recursus ad Regem vergit in utilitatem utriusque rei publicæ, & jurisdictionis Ecclesiasticæ, & seque.
- 38 In violentiæ cognitione non tractatur de imponenda pœna juris, sed an sit deferendum, vel non.

**L**ICET in specie Doctores tractantes de hujus Recursus ad Regem per viam violentiæ materia, nihil de propositis difficultatibus attingant, ex omnium tamen mente clarissimè apparet, quòd Senatores inter cognoscendum de hoc violentiæ articulo, teneantur respicere jus canonicum, statuta, concilia, & decreta Ecclesiastica. Omnes etenim dicti Doctores asserunt, Principem posse uti hac protectione, quoties iudex Ecclesiasticus contra decreta Ecclesiastica, & sacros canones vim facit, denegando appellationi permissæ, & violenter eadem pendente exequendo.

Sed ut articulus iste magis in specie tibi liqueat, notare debes, primò, quòd quando agitur coram alio iudice de processu alterius, an malè, vel benè processerit, iudex superior debet attendere, & considerare dumtaxat, an inferior servaverit statuta, & stylum sui tribunalis, ubi iudicavit: ita tenet Alexand. consil. 164. circa dubitationem, n. 3. & sequentibus, & n. 8. l. 6. Scacia, de appella quest. 18. sub num. 10. versiculo infero secundo, & post Joan. Andr. in rubr. de consuetud. & ex aliis idem firmat Roland. à Vall. cons. 48. n. 16. & 23. fol. 173. nam in his quæ respiciunt processum, superior debet attendere statuta, & stylum iudicis inferioris, in Margar.

- ad Innocent. in verb. iudex appell. sequitur Guid. Pap. tract. de appell. q. 52. subn. 40. tom. 5. f. 58. Rebuff. tract. de appell. art. ult. gl. unic. n. 44. Nat. cons. 33. cum quidem, n. 10. & quibus casibus dicatur legem, seu statutum respicere ordinaria, vel decisoria iudicis, vide latè Grassis de effect. cleric. effectu 2. à n. 13. cum sequentibus.
- 4 Hinc est, quòd si de re ecclesiastica agatur coram iudice seculari; prout usura, juramento, & similibus; tunc causa decidi debet secundum jus canonicum, non secundum jus civile, text. gloss. & communiter Doctores in c. canonum. statuto 1. in ord. de constit. per quem text. ita ibi adnotavit Abb. Socin. in cons. 77. n. 20. vol. 1. Marant. de ord. iudicio, in 3. p. 73. cum aliis latè per Felin. in c. cum caus. n. 1. de testib. Afflict. decis. 322. ubi Ursill. Cifuent. in l. 3. Tauri, n. 3. Avil. in cap. prat. c. 19. gl. guarder, n. 3. Montalb. in l. 4. tit. 5. lin. 1. fori, verb. acuerd. Villalob. in antino. jur. c. 1. n. 14. & 15. Plac. de delict. cap. 1. n. 24. Didac. Perez, in proemio legum ordin. q. 3. Bernard. Diaz in pract. c. 60. n. 7. Burgos de Paz in l. 1. Tauri, n. 602. Joannes Gutierrez de juramen. consirm. 3. p. cap. 17. num. 8. qui alios allegat, Marta de juris. 4. p. cent. 1. cas. 50. n. 5. de quo habetur in c. fin. de præscript. Hinc est ut laicus litigans coram ecclesiastico iudice, adstringatur juris canonici dispositionibus, & iudici ecclesiastici stylo, sicut e converso; Philipp. Franc. in cap. si duobus 7. §. denique, num. 2. versio. quid autem si laicus, & num. 3. & 4. de appellatione. Aretinus in cap. quod clericis 11. n. 9. & 10. de foro compet. Decius in cap. Ecclesia sancta Maria, n. 151. vers. ex præmiss. & num. sequentibus, de constitut. & esse communem omnium opinionem refert, & sequitur Cesar Contard. in lege unica, lim. 4. num. 6. Cod. si de momenta poss.
- 6 Et facit, quia si iudex ecclesiasticus subrogatur in locum iudicis secularis debet procedere eodem modo, & eadem forma, quæ secularis procedere debebat, docet Abb. in d. c. Ecclesia sancta Maria, n. 31. de constit. Rebuff. in tract. de nominat. nu. 23. pag. 140. Mandos. consil. 6. n. 16. Mier. tr. de major. 3. p. q. 1. n. 19. in noviori impress. ergo e converso ex identitate rationis.
- 7 Et magis in terminis facit elegans doctrina, quia appellationis admissio, seu non admissio; scilicet; an sit deferendum, vel non, est de appendiciis illius instantiæ, cuius est sententia, à qua appellatur, & ideo subjacet statuto, & stylo illius loci & iudicis, in quo est lata sententia, Rota Roman. decis. 330. resolverunt Domini, n. 1. & 2. part. 2. divers. & quòd appellatio sit de ordinariis iudiciis, & propterea in articulo; an causa sit appellabilis, vel non appellabilis, tanquam pariter ordinaria, sit attendendus stylus, jus, & statutum iudicis, à quo lis tractata fuit, tenuit, & sapius Rot. ut testatur Achill. de Grassis decis. c. 12. alias 238. appellationem esse, n. 1. de appellatione fol. 108. quam refert, & sequitur Marquessan. tractatu de commiss. part. 1. de commiss. appellat. super divers. cap. 28. num. 5. fol. 208. in secunda impressione, & dixit eadem Rot. decis. 181. caus. Rarmentens. sub n. 6. part. 3. lib. 2. divers. Scacia tractatu de appellatione. quest. 18. numero 5. ubi etiam dicit, quòd articulus, an sit appellationi deferendum, vel non deferendum, respicit ordinaria iudicis, secundum opinionem magis communem, receptam, & consequenter litigantes in Rota, etiam si in temporalibus nullo modo essent subiecti Papæ ligentur constitutione Aegidiana, disponente super delatione appellationis in possessorio deneganda, idem tenet Cesar. Contard. in l. unica, in quibus Aegidia. qu. 6. sub n. 6. & 1. Cod. si de molen. poss.
- 10 Et quòd in possibilitate appellandi attendatur stylus, & ordo tribunalis; ubi proponitur, Baldus in lege 1. versiculo. extra queritur, num. 10. Cod. ne liceat tertio provocca. Alexand. in lib. 1. sub numero 14. versiculo extra gloss. ibi, deinde Bart. & sub n. 18. versus fin. & n. 19. ff. de legat. 2. Feli. in c. super his 16. n. 13. lim. 7.

sed contrarium de accusari. quod multò magis procedit in appellatione, ab interlocutoria ante diffinitivam, scribunt Archidiacon. in ea non ita 18. 2. q. 6. Abb. in cap. Ecclesia sancta Maria, in 1. repeti sub n. 25. de constit. Philip. Franc. c. si duobus 7. §. denique, sub n. 4. de appella. & post Decium Scac. de appella. qu. 20. n. 7. & n. 10. & 12. quòd iudex de gravamine appellationis cognoscens, an sit deferendum, vel non, & similibus, & quæ respiciunt ordinaria iudicis, debeat sequi, & attendere statuta, stylum, & constitutiones iudicis à quo, vide latè per eandem Scaciam ibi, à numero 1. Ergo sequitur evidenter, quòd cum in hac extrajudiciali cognitione per viam violentiæ tractetur, an iudex à quo illi; lam commiserit, denegando delationem appellationis, & ea pendente violenter processerit ad executionem; non solum jus canonicum in genere, sed in specie statuta, constitutiones Synodales, & stylum illius iudicis ecclesiastici, debeat Senatus inter decernendum violentiam omnino, & precisè attendere, & præ oculis habere.

Sed quid si deficit jus canonicum, quod in illo casu specialiter nihil determinat, an recurrendum erit potius ad jus civile (quàm Regium); Videretur, quòd sic, prout in terminis similibus dicit Præpos. in c. consuendo 1. d. n. 3. & Petr. de Ravenna in Alphabeta aureo in allegat. in materia consuetudinum. in prin. in 5. col. ad fin. quòd in Hispania iudex Ecclesiasticus potius debeat iudicare secundum leges imperiales, quàm secundum leges Regni, ergo Senatus in detegenda violentia, cum debeat attendere jus, quòd sequitur iudex Ecclesiasticus, videtur debere attendere jus civile, non Regni.

Sed contrarium verius est de jure, in utroque casu, imò quòd iudex ecclesiasticus, deficiente jure canonico debeat omnino recurrere potius ad jus Regni, (quia est jus commune ipsius) quàm ad jus civile, & leges Imperiales, sive converso, ex sententia Bal. in l. 1. C. de cess. honor. Ant. & Abb. in c. licet, de for. compe. tradunt ex nostratibus latius Palac. Rub. in introdu. ad rub. de donat. inter, n. 16. & 16. Villalob. in antimon. jur. litera... §. 1. n. 14. Didac. Perez, in legib. ordin. in q. 3. provincial. Parlador. Sessquicentur. differ. 2. à n. 1. & 2. ubi alios contrarium tenentes recenset, hanc tamen veriore dicit, eam etiam post Palac. Rub. & Doctor. Villadieg. tenet etiam, & bene probat Salced. in additio. ad Bernard. Diaz, in pract. crim. canon. c. 66. sub n. 6. fol. 245.

Et comprobatur etiam, quia licet leges laicorum non ligent clericos (prout tenent nonnulli citati per Mart. de juris. 4. p. cent. 1. cas. 50. à n. 1.) tamen id non procedit, primò quando deficit providentia juris canonici, quia tunc recurritur ad leges laicorum: c. 1. de novi oper. nuntia. & ea que hæctenus diximus.

Secundò etiam si non deficiat; tamen lex laicorum vel est approbata per Papam, vel tacitè recepta, quia tunc debet attendi in foro Ecclesiastico, ut firmat ipse Marta ibi n. 3. & hinc est, quòd quotidie vilem, stylum tribunalium Regalium servari, & practitari pariter in iudiciis Ecclesiasticis, qui licet deviet à jure, & stylo Romanæ Curie; nihilominus sustinetur, & approbatur per Rotam Romanam, prout plures decisiones citamus ad idem infra, 3. part. c. 9. an è fin. à n. 233. ubi latè. Et pro hac parte facit l. 1. in fin. tit. 18. lib. 6. recopil. quia leges Regni, quando practicantur in utroque foro, debent omnino servari, nec à tali praxi recedendum. Cumian. super statu. Mediolan. in prelatiis, n. 600. & 601. Alciat. tract. de præsumpt. reg. 3. præsumpt. 44. num. 17. Grass. de effect. cler. eff. 2. n. 133.

Igitur cum, superius probatum est, Senatus debeat attendere jus, & stylum iudicis, & fori Ecclesiastici, quæro, an potius debeat attendere stylum Romanæ Curie provenientem tanquam à fonte, & origine juris perennis; an verò stylum particularem tribunalis iudicis, de

de cuius violentia conqueritur. In quo breviter, & resolutivè dico, etiam in essentialibus iudicii teneri Senatum potius præ oculis habere stylum, & praxim iudicis ecclesiastici, quam Romanæ Curia, etenim ipse iudex ecclesiasticus sui tribunalis stylum tenetur servare, in tantum, quod etiam in libris, quæ de partibus transportantur ad Curiam, etiam in Rota attenditur, & approbatur, quantumvis contrarius sit eiusdem, scilicet; Rota stylo, & etiam in essentialibus, ut pluries, in diebus terminavit Rota, secundum varietatem casuum, ut in una Pampilonensi Parochiali 14. April. 1577. ut testatur Lancel. de attent. 2. p. c. 4. in prefatio. n. 312. & in una Cordubens. decimarum 14. Jan. 1534. coram Seraphino, & in alia Calagur. oblatio. 26. Maij 1590. coram Comitulo, & in alia Toletana decimarum, de Sarre 18. Febr. coram Pamphilo, & alijs sæpius, de quibus testatur Hieron. Gonzal. in reg. de mens. & alterna. l. 9. §. 1. in adnotatio. n. 55. Cæsar. de Grass. dec. 6. n. 6. de sentent. & re iudic. Caputaquen. decif. 165. p. 3. & fuisse determinatum una Calaguritan. iuris votandi 19. Jan. 1590. Coram Orano, testatur Hieron. Gonzal. ubi proxime, n. 115. & à n. 154. & à n. 117. idem affirmat fuisse per Rotam determinatum, in alia Burgenf. concedendæ licentiæ, Coram Orano de anno 1585. & in alia Pampilonensi Parochiali 13. Junij 1600. idem firmat Pute. decif. 258. n. 2. lib. 1.

21 Quam conclusionem probant. Cæf. Contar. in l. uni. quibus Egidiana q. 6. sub n. 6. & 7. C. si de momen. poss. Rot. Roma. decif. 330. resolverunt, à princ. usque ad n. 3. p. 2. divers. Scacia de appell. q. 8. num. 6. 9. & 10. & satis clarè probant omnes DD. super à princ. hujus §. 3. dum affirmant, quod in ordinariis iudici Rota, & quilibet alius iudex appellationis tenetur servare stylum iudicis à quo, etiam si sit contrarius stylo sui tribunalis, apud quos videre poteris. Sed quia de hoc articulo in multis casibus specialibus, & scitu dignissimis plura dicimus infra 3. p. c. 9. propè fin. versic. illud tamen valde utilissimum, à n. 233. usque ad finem & nonnulla etiam 4. part. cap. 1. ante fin. versic. at verò notandum est, à n. 86. ideo ad ea libenter te remitto.

22 Quid autem ubi contraria est DD. opinio, quando alii faciunt articulum appellabilem, alii verò non appellabilem, & tunc prima erit conclusio, quod quando in aliqua difficultate reperiuntur Doctores contrariae & repugnantis sententiæ, sive id in lecturis, tractatibus, vel consilijs contingat, illa opinio regulariter præferri debet, quæ communis dicitur, vel quæ plurimorum Doctorem autoritatibus corroboratur, ut tradit Bernar. Diaz. in regul. 107. ubi Salced. in addit. Ill. in authent. novif. n. 22. C. de inoffic. test. & in authent. si qua mulier. n. 12. C. de sacros. Eccl. Abb. in c. prudentiam, n. 4. de off. deleg. Decius conf. 422. ex prin. & conf. 441. n. 14. plures refert Joan. Garcia, regul. 252. pulchre, & latissimè Alphons. Oieda de benef. 2. p. c. 1. ex n. 16. Ant. Corrar. in tract. comm. opin. in prefatio. ex n. 27. Montier. in prefat. decif. n. 31. Tiraq. de pœnis temp. n. 51. & num. 64. ubi optimè decidit, quando variæ sunt opiniones, illam esse eligendam & tenendam, quæ plurimorum Doctorem autoritate comprobatur; præsumitur enim verior ex Menochio de præsumpt. l. 2. præsumptio. 71. n. 2. Cervantes in l. 1. Tauri, n. 1. Humad. in schol. ad Greg. Lop. in prolog. parit. gl. 18. n. 1. Masc. de prob. concl. 338. n. 4. & 8. Cæned. in collect. 2. p. collect. 84. ubi plures refert in noviff. in quest. canon. q. 8. n. 10. ab eaque communi opinioni recedere non debemus, nec in iudicando, nec in consulendo. Morla in Empar. jur. 1. p. tit. 2. q. 5. n. 6. Burg. de Paz. in proem. legum Tauri, n. 251. Ceval. in proem. pract. quest. ex n. 30. Dec. conf. 131. in fin. Roland. conf. 60. n. 40. vol. 1. & conf. 16. ex n. 22. vol. 3. subdñs fatuum esse recedere ab ipsa communi: & post plures alios tenet Cæned. d. questione 8. sub num. 10. Quare si iudex ecclesiasticus hanc communem DD. neglexerit, supremas

Senatus de articulo violentiæ cognoscens, illi inhærendo (prout tenetur) juxta illam decernet, cum sit communis.

Si autem in aliquo articulo duæ sint Doctorem opiniones, alia permittens appellationis delationem, alia autem negans; utraque tamen opinio probabilis sit, vel æquè communis: tunc cum iudex ecclesiasticus possit quam maluerit, licitè eligere propter dubium existens, & autoritatem Doctorem unamquamque tenentium, ut ex Gutier. l. 1. canon. quest. c. 13. n. 23. Mercad. Sor. & alii citati, & sequuti à Cæned. in 1. p. collecta 28. n. 17. Salon. 2. 2. q. 63. art. 4. controvers. 2. colum. 1093. & ex Neviz & aliis refolvit Cæned. in d. q. 8. n. 22. videnda sunt, quæ Villalob. noviff. in Summa, tractatu 1. difficult. 5. post Azor. & alios dicentes omnes, hunc doctrinam procedere etiam in foro conscientia: quare hoc casu præcisè, & necessariò tenetur Senatus, eidem opinioni per iudicem ecclesiasticum electæ inhære, quoniam nullo modo potest de iniquitate redargui: cessat enim violentia, ubi jus afficit, licitè enim & sibi permiffum gerit ille iudex, de quo dumtaxat quæritur in detegenda violentia; anne contra jus denegavit delationem appellationis, & ita tenendum est.

Et pro complemento hujus §. 3. quid dicendum, ubi cessant prædicta, sed dubietas aliunde provenit, puta, ex subtilitate juris, aut ex intricacione processus, & si quæ sunt alia; an in dubio Senatus debet declarare, violentiam iudicem fecisse in non deferendo, partem; negativam urget: quia violentia sapit odium, & delictum, l. si quis in tantam furoris pervenerit audaciam, C. unde vi l. Julio, ff. de vi publica, qui ex text. expressus ergo in dubio vim non fecisse decernendum.

Sed contrarium verius est, & sequendum, immò in dubio vim fecisse iudicem non deferentem appellationi, cui de jure in dubio deferendum est, probant Speculat. tit. de appellat. §. nunc dicamus, n. 2. in fin. & sub n. 6. & n. 8. l. 2. fol. 194. Philip. Franc. in c. de priori 31. ibi, aut sumus in dubio, & in c. constit. 45. n. 18. & in c. ut debitus sub n. 43. versic. in eadem ibi in tali, dubio de appell. Card. Alexand. in c. cum speciali 61. §. porro sub n. 16. eodem tit. Rebuff. de sentent. exequut. art. 7. gl. 1. n. 3. fol. 359. Alex. in l. 1. ff. si quis cautio. Socin. conf. 39. n. 1. vol. 4. Marant. de ordin. jud. tit. de appel. 6. p. n. 262. Tiraq. tract. de mort. suisit. p. 6. declar. 6. n. 10. f. 120. Anguril. conf. 76. de trib. sub n. 1. & 2. l. 6. Nevizanus conf. 44. n. 9. Crot. confil. 124. n. 11. Roland. à valle conf. 34. n. 3. vol. 3. Vincent. de Franc. decif. 120. n. 4. Cornaz. in decision. Rot. Lucen. decif. 193. n. 1. Tiber. Decia. conf. 44. n. 32. vol. 1. Fulv. Pac. confil. 127. n. 1. & 18. Farin. dec. 418. & 870. Petr. Surd. tract. de aliment. tit. 18. priv. 60. sub n. 1. & 2. & idem in conf. 163. arbitr. num. 5. vers. 3. ubil. 2. & iterum ipse Surd. conf. 271. n. 17. & in decif. 36. n. 2. Marquellan. tract. de commiss. p. 2. de commiss. appellatio. p. cap. 1. n. 7. fol. 5. & quod in dubio fiat interpretatio, quod appellatio deferatur, Alexand. confil. 113. viso themate, num. 2. lib. 5. & quod ubi de jure, vel de facto est dubium, nunquid appellatio teneat; tunc iudex à quo debeat superferre in exequutione, ita ut nihil debeat innovare, scribunt Specul. d. §. nunc dicamus, n. 8. Joan. Andr. in c. pastoral. 28. n. 10. in fin. de off. & potest. jud. deleg. Philip. Franc. in c. constit. 45. sub n. 18. Sigismund. Scacia de appella. q. 17. amplia. 10. n. 60.

Quod procedit etiam in casu, in quo appellatio fit regulariter prohibita, puta, in causa possessoria, quia nihilominus si adsit dubitatio circa delationem; vel non delationem appellationis, debet admitti. Cæf. Contar. in l. unica, limit. 27. n. 1. & sequentibus, & idem in quest. 1. num. 43. in fin. & num. 44. Cod. si de momen. poss. Scacia ubi proxime, d. q. 17. amplia. 16. num. 64. Petr. Surdus conf. 163. arbitr. n. 6. lib. 2.

Nec obstat, quod in dubio regulæ est inhærendum, quoniam in causis possessorijs prohibitio appellationis est

est limitatio regulæ generalis, permiffive in omnibus regulariter, & per admissionem in dubio, redimus ad regulam, prout etiam dicit Scaccia ubi proxime, num. 64. ubi etiam satisfaciunt illi difficultati, quod concurrentibus duabus causis, permiffiva scilicet, & prohibitiva, hæc ut fortior attendenda (de quo latius amplissimè infra 2. p. cap. 7. per totum; & 3. p. cap. 1.) quia procedit, quando constat apertè de prohibitione, secus quando est dubium, quia tunc debemus regulæ adherere permiffivæ, ut dictum est: igitur evidenter fatendum est in dubio deferendum, & reponendum debere decernere Senatum.

36 Nec obstat quod simus in odiosis, quia imò tota ista hæc extrajudicialis cognitio, & recursus ad Regem, si sub limitibus defensionis naturalis contineatur, est favorabilis, & ab omni jure, naturali, divino & positivo proveniens, & permiffus; quare valde utilem dixit Suarez l. 1. de immunit. Ecclesiast. c. 44. n. 43. Ceval. in tract. de cognit. per viam viol. gl. 4. sub n. 4. & in q. 897. sub n. 152. Cæned. in q. canon. 45. n. 93. & num. 45. Morla in emp. jur. tit. 2. de juris. quest. 14. num. 8. qui affirmant, quod cum vergat in utilitatem reipublicæ utriusque, ideo dicitur favorabilis. Nec obstat, quod punitur iudex, quia in hac extrajudiciali cognitione nihil de pœna juris tractatur imponenda, sed dumtaxat de nulla delatione, an debuerit iudex deferre, vel non, & ita tenendum est. Et quod hic recursus ad Regem sit favorabilis, & utilis jurisdictioni Ecclesiasticæ, tenet post Manuël. Roder. Navar. Covarr. Pacian. & Chaquerant. noviffimè Torre-Blanca tractatu de magia, l. 3. c. 26. num. 32.

§. IV.

Provisio expedita vigore decreti Regii, quo vim fieri est declaratum, quemadmodum intimanda sit iudici degeni in alterius tribunalis districtu, & à duobus iudicibus ad invicem procedentibus, existentibus in diversis tribunalium districtibus, emissarum appellationum, pro delatione quod tribunal adeundum.

SUMMARIUM.

- 1 Leg Regiæ 36. tit. 5. l. 2. recopil. verba inseruntur. dispensatio tribunal. sub cuius districtu degit iudex Ecclesiasticus vim inferens adeundum esse pro illa tollenda.
- 2 D. l. Regiæ determinatio provide obviat pluribus inconvenientibus consideratis.
- 3 Violentia tempore, & etiam querela, & decreti si iudex Ecclesiasticus degat sub uno districtu, & ad provisionis intimationem in districtu alterius tribunalis absens reperitur quomodo intimatio fit faciendâ.
- 4 Citatio ab uno territorio emanata non potest fieri degeni alio, nisi per literas requisitorias.
- 5 Actus extrajudiciales ubique geri possunt, judiciales non nisi intra territorium.
- 6 Provisionis Regiæ intimatio non est citatio, sed monitio, & certioratio extrajudicialis, qua geri potest etiam per iudicem incapacem.
- 7 Iudex laicus potest aliquid intimare clerico, ut certiorato paret præjudicium, aut constituatur in mora, aut mala fide.
- 8 Provisionem Regiam ab uno tribunali legitime cognoscere de violentia, ut inimerur judi postea degit in districtu alterius, minus erit præsertari in altero tribunali.
- 9 Provisione Regiæ intimata iudici Ecclesiasticus in alio districtu non obtemperanti, ubi petenda est secunda, & tertij usque ac pœna cominata temporalitatis exequenda.
- 10 Tribunal quod adeundum si à duobus iudicibus ad invicem se inhibentibus est appellatum, degenibus in

diversis districtibus Senatum.

- 11 Senatus is est adeundus pro tollenda violentia, ubi degit iudex, à quo appellatur; eo quod dedit se pro inhibito.
- 12 Senatus is est adeundus, ubi degit iudex inhibens, à cuius gravamine, & inhibitione appellatur.
- 13 Senatus quis adeundus, quando est appellatum à facto utriusque iudicis inhibentis, & invicem inhibentium, degenium in diversis districtibus.
- 14 Iudex uterque est competens ad cognoscendum de eo, qui existens in uno territorio occidit alium existentem in altero territorio cum sclopo.
- 15 Senatus uterque si à qualibet parte appellatur, & concurrente adheretur, maxima sequetur repugnantia, contrarietas, & absurdum, alienum à natura Regiæ protectionis.

ET pro hujus §. brevissima resolutione primitus supponenda sunt verba l. 39. tit. 5. l. 2. recopil. quæ sunt: *Orrést por que suete succeder diferencia, a qual de las audiencias han de ir los procesos, que se mandan llevar por via de fuerza quando los jueces Ecclesiasticos que proceden, estan o reciden allende, o aqueude de tajo, havemos por bien declarar, y declaramos, que los tales procesos vayan à cada una de las dichas audiencias, de baxo de onjos estuviere el juez Ecclesiastico, y alla se determinen per los oydores dellas: sin embargo de otra qualquier cedula que se oya dado para que fuesen à la audiencia, so cuyos limites fuesse el Rey.*

Necessaria fuit valde hujus legis tam provida determinatio, siquidem unaquæque audientia suprema certos habet limites, & notorios, aliter enim si liberum fuisset oppresso, quamlibet adire Regiam audientiam ad sui electionem; intricabilis foret labyrinthus, & intricabilis confusio. Siquidem duo appellantes, puta, ab eadem sententia (quod possunt inquantum contra, prout alibi suo loco latius) unusquisque eligeret tribunal, & se invicem impedirent cognitionem, vel magnam parando dilationem, vel simul concurrente cum provisionibus ordinarijs, requirentes notarios pro processu exportatione. Hinc si Reus originarius in causa appellationis fiat actor, & an appellans actor, fiat Reus inde etiam præventionum discordia quotidiana oritur, & alia innumerabiles confusiones, & inconyentia, quæ tacitè sentit l. Regia ibi, *Suele succeder diferencia.*

Hac enim nova determinatione, quæ longè utilior est, prædictis difficultatibus obviatis, unusquisque facilimè, & sine controversia aliqua potest, si vi opprimatur à iudice Ecclesiastico, illud adire tribunal sub quo deger iudex ipse, in qua quidem insuper duas difficultates subsistere repetio, prima quid si tempore intimandæ provisionis unius tribunalis Regii, iudex Ecclesiasticus absens inveniatur in districtu alterius, quid faciendum, aut quomodo intimanda, quia juxta dispositionem text. in l. à D. Pio, §. sententiam Roma dicta, ff. de re judi. & latè Cov. in pract. q. c. 10. n. 7. & clem. Pastoralis, §. despiceret, de jud. l. fin. ff. de jurisd. omni. jud. Rebuff. in tract. de liter. requisito. à prin. qui plurimos citant, Paz. in prax. 4. p. 1. tom. cap. 2. num. 10. & per totum cap. Parlador. lib. 2. rer. quod. cap. 6. p. num. fin. l. 2. tit. 2. lib. 4. recopil. l. 1. tit. 27. p. 3. quod si citatio faciendâ est ei, qui sub districtu, & diversa jurisdictione alterius iudicis existit, debet per requisitorias literas fieri; item exequutio sententiæ alibi rata; ergo idem dicendum videtur in nostro casu; ut nullatenus ei intimari debet hæc provisio, nisi ad requisitorias literas, seu supplicatorias tribunalis, de violentia cognoscens.

Sed contrarium in nostro casu verius esse existimo; tum quia dictus §. sentent. Romæ, procedit in jurisdictionalibus actibus, exercendis in aliena jurisdictione; non autem loquimur in actibus extrajudicialibus, qui ubique geri possunt, ut probatur etiam à ratione cessante

d. §.